



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quinam Casus censeantur Episcopis reservati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

Quinam Casus censeantur Episcopis reservati.

Quinq̄ue Casus enumerat Lezana, verbo, *Casus reservati num. 2.* qui communiter dicuntur Episcopales. Nempe, peccatum habens de jure annexam p̄nitentiam publicam, aut excommunicationem majorem, aut irregularitatem, nec non peccatum incendiarii, & publica blasphemia. Docet tamen cum aliis ibidem Lezana ex solo jure communi nullum esse casum Episcopis reservatum. Casus igitur Episcopales potius erunt illi, qui vel ex consuetudine, vel expressa eorum voluntate illis reservantur.

In Belgio ab Archiepiscopo Mechliniensi expressè reservantur casus sequentes. Raptus Virginum, Homicidium. Incendium deliberatè voluntate procuratum. Simonia. Sodomia. Hæresis. Apostasia. Incestus cum consanguineis, aut Sanctimonialibus. Injunctio manuum violenta deliberato proposito, cum læsione in Parentes. Sortilegium. Adulterium notorium. Addunt, & omnia delicta habentia excommunicationem majorem annexam; ac quæ sunt prædictis graviora. Casus hi omnes reservantur etiam ab Episcopis Antverpiensi, Gandensi, Brugensi, Iprensi, & Ruremundano. Nam Pastoralis ad usum totius illius Provinciae edito inseruntur. Iprensis insuper reservat sibi Casum Sacrilegii; & Mechliniensis peccatum carnis Complicis opere completum, sic ut Confessarius complex non possit ab eo absolvere. Hunc etiam Complicis casum Antverpiensis modò reservat. Prædictos casus omnes, ut memoriæ promptius occurrant, Theologus noster sic nitidè expressit:

220 Pars 3. tract. 2. cap. 3. De Impedim Absol &c.
Incestus, Raptus, Sodomita, & notus Adulter,
Incendens, Perimens, Percussoresque parentum,
Sorti legus, Sectator, Apostata, & impius Emptor:
Sacrilagus servatur Ipra, complexque Malina
Nunc etiam Advatica Complex fert vincula Mitra.

In his, ubi actu reservantur, pro absolutio-
ne recurrendum est ad Episcopos, aut alios
quos ipsi ad Casus etiam Episcopales appro-
bant, aut designant. An verò Ordines Men-
dicantes vi suorum privilegiorum possint hodie
in Belgio à casibus Ordinario reservatis absol-
vere, disputat cum quibusdam aliis Franciscus
Bonæ Spei de Penit. *disp.* 10. n. 48. ubi pro par-
te affirmativa citat novem Recentiores, qui il-
lam probant, tum quia, inquit, prohibi-
tiones factæ ante Urbanum VIII. anno 1628.
sunt tantum pro Italia: tum quia hæc Urbani
VIII. prohibitio, tantum est, ne Regulares
absoluant in vim privilegiorum illis ante Tri-
dentinum concessorum, vel post confirmato-
rum; est autem, inquit, privilegium Pauli
III. & Pauli V. uni Ordini, cum quo alii Men-
dicantes communicant, concessum de novo,
& non solum in confirmationem, post Tri-
dentinum, absolventi ab illis casibus: tum de-
nique ajunt, quia Bulla Cænæ, & decreta S.
Congregationis, Mendicantium privilegia de-
super revocantia, non sunt in Belgio promul-
gata. Verum ipse Bonæ Spei *supra*, negativam
sententiam sustinet, maximè ob specialem Ur-
bani VIII. declarationem, quam citat, & Alex-
andri VII. censurantis oppositum inter Proposi-
tiones sibi à Regularibus diœcesis Andegavensis
propositas 30. Januarii 1659. His addo ejusdem
Alexandri propositionem 12. inter prohibitas
anno 1665.

Brevi

